

## **De plethora sanguinis spuria ... / [Gottlieb Friedrich Christmann].**

### **Contributors**

Christmann, Gottlieb Friedrich, 1752-1836.  
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Litteris Georgii Henrici Reisii, [1770]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vs3ed3uz>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
PLETHORA  
SANGUINIS SPURIA

---

RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINO-CAROLINÆ  
MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO DUCE AC DOMINO  
DOMINO

CAROLO,

DUCE WIRTEMBERGIÆ REGNANTE REL.  
PRINCIPE AC DOMINO SUO LONGE CLEMENTISSIMO:

CONSENTIENTE GRATIOSA FACULTATE MEDICA:  
PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

GEORGIO FRIDERICO  
SIGWART,

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE, ANATOM. ET CHIR. PROF. P. O.  
MED. AUL.

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO PIE COLENDO:  
PRO GRADU DOCTORIS IN MEDICINA  
OBTINENDO,

D. NOVEMB. MDCCLXX.

PUBLICE DISPUTABIT

AUCTOR

THEOPHILUS FRIDERICUS CHRISTMANN, *Rietenau.*

---

TUBINGÆ,  
LITTERIS GEORGII HENRICI REISII.



81

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30788821>





## DE PLETHORA SANGUINIS SPURIA.



Cum cursui studiorum meorum academico, quem in alma hac universitatē favente Deo transigere licuit, sub auspiciis divinis Dissertatione inaugurali finis imponendus esset, cogitanti mihi de themate aliquo, prae aliis attentionem meam excitavit *plethora sanguinis spuria*. Cuius adfectus cum tam frequens mentio fiat in sermonibus & scriptis medicorum, immo ob frequentiam suam ab ipsa plebe celebretur, dignus omnino mihi visus est, ut qualescunque meas vires in eius consideratione tentarem, quam igitur benevolo lectorum iudicio committo.

§. I. De plethora sanguinis spuria igitur cum mihi sermo futurus sit, ante omnia mihi cogitandum est de methodo, qua tractatio haec medica absolvi debeat. Medico autem duplex circa morbi considerationem incumbit officium, ut nempe morbum aliquem cognoscat, cognitum deinde curet; hinc & meum nunc est, primo de adfectus in titulo nominati *pathologia*, tum vero de eiusdem *therapia* agere. Primum ergo & proximum est, ut determinem, *quis sit iste morbus & quae ipsius indoles*, quo modo differat ab aliis morbis, & *quaenam sint ipsius varietates*, progrediendum est tunc ad ipsius *causas, effectus, signa & pericula*, quibus omnibus deinde *curatio* eius subiungitur. Et quamvis amplum huius materiae campum plane emetiri & absolvere hic pro dignitate non liceat, praecipua tamen momenta adducere conabor, specialiorum, quae circa hunc adfectum observanda occurrunt, pleniorē enodationem acutioribus & me peritioribus relinquens.






§. II. Quid sit plethora sanguinis seu polyæmia, non est, quod explicem, abunde id factum video ab Excell. D. Praefide, Praeceptore meo aeternum venerando in benevole mecum communicata Dissertatione, quae inscribitur: *Polyæmiae nosologia habita, Tub. 1759. resp. C. L. F. Linck.* Ex praestructis igitur ibi fundamentis nosologicis mihi nunc facilius est dicere, quid sit *plethora sanguinis spuria*, sc. talis sanguinis conditio, ubi ille abundare tantummodo videtur, reapse vero non abundat, sed aucto tantum simpliciter volumine vasa magis distendendo veram abundantiam simulat. Haec nempe *plethora sanguinis spuria* idem ille adfectus est, quem plerumque orgasmi sanguinis nomine designare solent, quamvis etiam alia eius synonyma passim legantur: v. g. *plethora apparens*, plenitudo ad volumen, fermentatio, turgentia, aestus, ebullitio, commotio sanguinis &c. Germani *Wal-lungen des Bluts* appellant. Sanguis dicitur latex ille purpureus, intra vasa vivi alicuius animalis factus, & sistit humorem, dum fluit, apparenter homogenum, quem vero ex diversae indolis, aereis, aquosis, oleosis phlogisticis, salinis terreisque particulis certa proportionem commixtis conflatum esse variae ostenderunt observationes & experimenta. Varia mirabile hoc mixtum constituentes partes gaudent elasticitate, qua sub certis conditionibus expandi vel rarefieri possunt, dum manente eadem massa volumen maius acquirunt; quod augmentum voluminis *expansio* sive *orgasmus sanguinis* appellatur, qui est *vel naturalis vel praeternaturalis*, vid. cit. Dissert. § 94. in iuventute enim v. g. ceteris paribus, sanguis semper naturaliter maiori expansione pollet, quam in senibus, quorum humores magis in oppositum orgasmi, nempe lentorem vel vappescentiam vergunt. Strictiori autem sensu potius *orgasmus sanguinis* pathologice sumendus & dicendus est expansio sanguinis ultra gradum naturalem aucta, de qua etiam proprie hoc loco sermo est. Neque ab aliorum pathologorum definitionibus haec notio discrepat; nam ita quoque v. c. *Cel. Fr. Boissier de Sauvages* dicit in *pathol. method.* 1759. p. 105. *plethora sanguinis apparens est, quae a sanguine rarefacto minus denso pendet; & Cel. Gaubius instit. path. med.* § 390. *plenitudo ad volumen, apparens quoque & spuria dicta est, quae aucto rarefacti sanguinis volumine molem veluti auctam mentitur, quanquam huius nulla est exsuperantia.*

§. III. Distinguenda est igitur haec *plethora spuria* § 2. ab illa *plethora respectiva* vel *ad spatium* recte dicenda, quae ex imminuta systematis circulatorii capacitate oritur, quantitate sanguinis interim non imminuta. vid. *Ill. Gaub. pathol.* § 389. quae a quibusdam etiam *apparens & spuria* dicta est, vid. *Cornel. van Dam Diss. de Plethora vera & apparente Lugd. Bat. 1757.* Excluditur quoque iste de *plethora spuria* conceptus, quem alii ei tribuunt, qui *plethoram cacochymicam* hoc nomine intellectam volunt, uti fecerunt *J. S. Schumannus* in sua *Diss. de plethora*

multo.





multorum morborum ac symptomatum causa, sub praesidio Sim. Paul. Hilscheri Jen. 1743. habita & Fr. Gothofr. Fischer in Diff. de plethora sensu medico semper spuria, Praef. Car. Frid. Kaltschmid, Jen. 1757. Maximi vero momenti est discrimen, quod inter hanc plethoram sanguinis spuriam § 2. & veram plethoram intercedit; cuius speciem illam male haberi fuisse ac solide demonstravit Exc. D. Praeses in citatae Dissertationis Sis 36. 37. 39. Cum enim orgasmus sanguinis cum opposito plethorae verae vitio, sc. inopia sanguinis concurrere possit, plethoram veram & spuriam sub eodem genere non comprehendendi posse, sed plane a se invicem separari ac distingui debere, facile patet. Quantae dignitatis sit haec distinctio ab Exc. D. Praefide in allegata Diff. § 40. vivis adumbratum est coloribus, quae ideo tota huc traduci meretur: eiusmodi morborum simulacra omnino in doctrina & praxi medica a veris probe internoscenda sunt, ne inoffenso sanitatis hoste, quod sanitati vitaeque non inimicum est, cum summo aegrorum damno pro tali habeamus, sicque, quod facile contingere posset, quae ad vitam & sanitatem data sunt, demere & una cum via remove, tentemus. Rem exemplo polyhaemiae, de qua agimus, illustrare hic convenit. Pone Sempronium inopia potius, quam copia, sanguinis laborare eiusdemque humores calore febrili organico expandi. Accedit Titius, Medicus ipsius imprudens, videt vasa turgida, faciem rutilam, urinam flammeam, tangit carpum, sentit in eo pulsum plenum, magnum; mox accusat plethoram, celerius accessit Chirurgum, secare iubet venam, non subsidente orgasmo, iteratis vicibus eam repetere praecipit. Nil cogitans de calore expandente, de pulvisculo temperante &c. Hem! infelicem praxin. Hem! infeliciores aegros, si vel felicissimus fuerit ipse huius commatis Practicus, ob autoritatis praeiudicium. Tam utiles, tam necessariae sunt morborum distinctiones in libris & ad lectos aegrotorum. Dari talem sanguinis expansionem, quae apud inopia ipsius laborantes veram sanguinis copiam mentiatur, etiam alii monuerunt auctores, v. g. Cel. Platnerus dicit in sua arte medendi ad singulos morbos accommodata p. 134. § 261. sedulo vero notandum, venas aliaque vasa saepe etiam tumida & turgida videri in corporibus valde infirmis, immo funesta tabe absumentis, quae res non a plethora proficiscitur, sed ab atonia tunicarum, ex quibus vasa composita sunt, atque ab ipsius cutis laxitate. Et Fernelius iam dixit P. I. p. 302. b. si quis vehementi aut diuturno morbo, ut lienteria, atrophia, marasmo extabuit, huic sanguinem non mittes, etsi pulsus plenus nunc existit & validus.

§. IV. Cum vero haec plethora sanguinis spuria five orgasmus, ut alii morbi, ob varias circumstantias suas habeat differentias, opus est, ut diversae eius species evolvantur, & unde istae differentiae pendeant, sedulo investigetur; quare praecipuas & maxime momentosas eius varietates prius indicabo, antequam ulterius





rius pergam, eo magis, cum non parum ad prognosin & curationem faciendam haec conferant. Inter diversas istas conditiones, quae varietatem aliquam faciunt, est orgasmi cum aliis vitiis concursus; eum enim non semper solum occurrere, sed cum variis quantitatis, qualitatis ac motuum morbis saepius complicatum esse, extra omne dubium est. Quare adnotandum est, unitum esse orgasmum sanguinis non raro cum sanguinis, quoad molem, abundantia, vel etiam cum eiusdem inopia, prior complicationis species plethora commota, orgasmica vel rarefacta appellatur, nec minus cum plethora respectiva, ubi vasorum capacitas vel ob spasmos, vel ob rigiditatem & coalitum, ut in senio, vel aliis causis, minor facta est, combinari potest. Uti cum modo dictis quantitatis, ita etiam nonnunquam cum varii generis solidorum & fluidorum qualitatis vitiis conjunctus existit, v. c. debilitate, cacochymia & acrimonia humorum &c. nec non has species complicatas iterum inter se varie complicari posse, sponte intelligitur. Quas differentias causae, symptomata, subiecta &c. faciant, brevitatis causa praetereo, quia partim per se, partim ex sequentibus facili negotio supplentur, unicam tantum adhuc differentiam adiungens. Differt nempe secundum causas generaliter consideratas ita, ut sit vel idiopathicus vel symptomaticus; hic est, qui alium morbum tanquam sui causam agnoscit, nec nisi isto remoto tolli potest; ille vero, qui non alicui morbo, sed aliis causis suam originem debet. His de orgasmi differentiis praemissis ad causas ipsius transeo.

§. V. *Causae*, quae sanguinem expandendo volumen eius ita adaugent, ut maius spatium adfectans, quasi magnus molis cumulus accessisset, vasa saepe valde turgesciat, multiplices sunt. Faciunt hoc, cum vel immediata actione sua volumen sanguinis expandunt, vel stimulo suo nervos irritando vehementiorem circulationem efficiunt, impetum cordis & arteriarum violentius concitando, universam massam sanguineam fortius commovent, & ita sub motu & attritu eius crescente, maiorem calorem in illa excitant, quo fit, ut insigniter sanguis expandatur & vasa sua distendat ac turgida reddat. Hae vero potentiae, quibus tales praeternaturales sanguinis turgescitiae producuntur, specialius nunc exponendae sunt, tam eae, quae ipsi homini insunt, quam quae extra eum positae in eum agere valent.

§. VI. Inter frequentes has potentias primo se offert aer, qui nos ambit, hic a sole vel alio quocunque artificiali igne insigniter calefactus volumen corporis & vasorum turgentiam evidenter augeat, idque eo magis & citius, ubi simul parum ventilatur, vel inclusus quasi stagnat: quod aestate experimur, ubi cum aestuoso solis ardore malacia in aere regnat, vel ubi caldaria vel hypocausta hieme studiosius clausa, praecipue subiti intramus. Idem facit aer, ubi pressio eius in corpora nostra imminuitur, quod fit, cum vel ob locorum altitudi-





nem vel tempestatibus mutationibus pondere levior fit, vel a vaporibus humidis, putridis, retentis, stagnantibus, animalium respiratione aliisque idoneis causis elasticitate sua exiit. Austrinos ventos in primis quam maxime aerem leviores, calidiores & humidiores reddere, & ita solida, sanguinem continentia, non solum relaxare, ut humoribus contentis minus resistere valeant, sed & humores magis expandere, per observationes compertum est. Ill. Fr. Hoffmannus, qui sedulus circa tempestatum in laedenda sanitate efficaciam observator fuit, in *opusc. med. phys. T. I. p. 64.* has de iis observationes tradit: *austrinis ventis aerem nostrum pervagantibus, praesertim aestivo tempore, quando minantur pluvias, homines anxio quasi calore premi, largius sudare, respirationem fieri citatiorem, corporisque habitum intumescere. -- Porro sub statu aeris austrino, perhumido tepidoque, corporis habitus relaxatur, & densa quae fuerunt, flaccescunt, cutis spongiosa ac rarior redditur, ad sudorem disponitur, vasa sanguinea intumescunt, calceamenta & tibialia arctiora fiunt &c.* plura de his *sqq. pag. & Cap. VII.* refert.

§. VII. In sanis hominibus mox post pastum observare licet, circulum sanguinis vegetiorem fieri, unde non tantum calor per totum corpus ad sensum augetur, sed etiam vasa sanguifera magis elevantur, & color cutis ruber intenditur, transpiratio ad lenem diaphoresin interdum augetur, febrem digestionis hoc appellant. Animadvertimus quoque, inde post ciborum assumptionem frigus facilius tolerari, & hypocausti calorem, licet hic non auctus sit, tamen tunc hominibus intolerabiliorem fieri. Hecticis quoque, quibus pulsus alias debilis, parvus ac frequens est, sumtis epulis altior atque maior fit, *observante Lommio observ. medic. p. 46.* Quamvis sanguinis motus ita ordinarie sub quavis prompta digestionem augeatur, tamen vehementius quoque calorem sanguinis augere solent cibi & potus iusto calidiores deglutiti, quod ex necessitate vel perversa consuetudine homines interdum faciunt, & hoc modo sanguinis turgentis molestias sibi creant. In primis quoque sanguis magis incalescit & ad ebullitionem perducitur ab assumtis potibus fermentatis, spirituosus, vino generoso, eo magis, quo recentius illud fermentatum est, vel quo minus dilutae sunt particulae spirituosae, ut in spiritu vini. Eadem virtute pollent medicamenta spirituosae, aromatica, fragrantia, stimulantia, & quae volatile balsamicum principium possident, emmenagoga, analeptica, aphrodisiaca, qualia sunt crocus, opium, ambra, moschus, castoreum, myrrha, aloe, elleborus, vaniglia, succini essentia &c. Nec minus aestum & expansionem sanguinis auctiorem inducunt salia volatilia alcalina, haecque potentius agunt, ubi oleum adhaerens vires eorum stimulantia acuit, qualia sunt salia volatilia oleosa, olea empyreumatica, rancida, carnes






carnes assae, quae maiori copia assumtae febres calidas producere possunt, teste *Boerhavio Prael. T. I. p. 129.* & licet oleosa rancida rarius ingerantur, frequentius tamen accidit, ut oleosa & pingua tali copia assumantur, ut in ventriculo rancescant. Haec sunt ex ingestorum classe potiora, quae orgasmum sanguinis excitare solent.

§. VIII. Sub motu & exercitatione corporis validiori calorem crescere & habitum corporis tumidiorem fieri, vulgaris & notissima observatio est. Nulli earum potestatum, quae hactenus recensitae sunt, efficacia in producendo orgasmo sanguinis cedunt animi pathemata, quorum vis, qua ad habitum corporis mutandum pollent, uberrimam poetis ac rhetoribus pingendi occasionem praebuit. Irae effectus *Ill. van Swieten T. I. p. 148.* ita describit: *in irato homine statim nascitur validior & celerior cordis contractio, pulsus fit plenior, fortior celerior, tument omnia & expanduntur etiam in macilentissimis, calor maior nascitur toto corpore, omnes fere tenduntur muscoli, truces prominent oculi, scintillant, sanguine suffusi &c.* Etiam aliae fortes mentis agitationes ac perturbationes id faciunt, licet non omnes pari cum vehementia: a sollicitudine, impotentia, terrore, anxietate, gaudio altius arteriae moveri & vasa magis expandi incipiunt.

§. IX. Superfunt adhuc variae res, quae extrinsecus corpori admotae orgasmum sanguinis excitare observantur, ut sunt, balneae, vestium stragularumque moles corpus calore suo foventes. Pertinent etiam huc frictiones, sinapismi vesicatoria & similia irritamenta foris adplicata: *per stimulos purgantium, vesicatoriorum &c. maior in fluidis fermentatio, turgentia & orgasmus excitatur. Bagliv. de vesic. C. III. § IV.* Huc quoque referendae sunt rerum graveolentius exhalationes, odor foci recentis, cannabis, inter cuius effluvia versantem se saepe vertiginosum & ebrium factum esse refert *Lindestolpe de venen. p. 541.* eique virtutem cranii fissuras dilatandi inesse ex *Lentilio* memorat; humidorum carbonum accensorum vapores & similia.

§. X. Comitatur quoque orgasmus sanguinis tanquam symptoma febres acutae, ardentes, inflammatorias, exanthematicas, in his enim saepe ob duplicationem expansio ista sanguinis augetur, partim ob auctum motum sanguinis intestinum, partim ob simul auctas systematis circulatorii actiones, licet hae etiam per se motum intestinum sanguinis intendunt. Etiam in lethargicis & apoplecticis pulsus ex parvo valde magnum fieri, & quo magis malum increscit, & mortem aegri properant, eo maiores pulsus fieri *Cel. Baglivius oper. p. III.*






propria & aliorum experientia confirmat. Tunc enim, licet functiones animales langueant, ob cerebri tamen irritationem actiones vitales cordis & arteriarum fortiores reddi observantur. *v. Ill. v. Swieten T. I. p. 250.*

§ XI. Cum dictae causae tam efficaciter sanguinem exaequare & turgescere possint, si singulae corpus adfligunt, quanto certius ac vehementius hic effectus sequetur, ubi duae vel plures combinantur, si v. g. in aestuoso aere corpus fortius movetur, vel ubi febre detenti aegri imprudentiori regimine ac diaceta calefaciente vel insuper adhuc medicamentis calidis tractantur, qualia infausiarum medicationum exempla apud imperitum vulgus interdum occurrunt.

§ XII. Promptius ac facilius tales organicae sanguinis expansiones oriuntur in hominibus admodum sensibilibus & irritabilibus, vel quorum sanguis partibus rubris phlogisticis magis abundat, quae ad caloris augmentum & inde expansionem proniores sunt, vid. *Ill. Halleri prim. lin. physiol. § 152. & Ill. Gaub. pathol. § 390. & 356.* ubi dicit: *rubrae portionis excessus, cum phlogiston in sanguine abundans notet, quavis occasione nociva caloris augmenta, immodicas expansiones, inflammationes &c. creat.* Unde cholericos eis maxime obnoxios esse intelligas, quibus non tantum est maior irritabilitas secundum *Ill. Hallerum l. c. § 151.* sed etiam rubrae portionis in sanguine abundantia secundum *Ill. Gaub. l. c. § 357.* Cum certius orgasmus sanguinis nascatur, ubi irritabilitas accedit, ut dicit *Ill. Gaub. l. c. § 390.* intelligere quoque hinc licet, cur consuetudine & frequentiori usu fiat, ut vinum & reliqua calefacientia non apud omnes eodem gradu humores turgescant, quia consuetudo sensibilitatem & irritabilitatem saepe multum limitare valet, & cur etiam ipse externus calor non apud omnes aequales effectus producat, prout monet *El. Camer. in Diss. de mach. hum. cum therm. bar &c. analogia. § IX.* ad calorem provocant, quo humores omnes ad turgescerentiam disponantur, uti liquor intra thermometri clausi tubum se expandens caloris indicet gradum, sic etiam sanguinem nostrum expandi, maiusque a calore spatium affectare. Quae quidem in se certissima sunt, ita tamen accipienda, ut latitudinem aliquam admittant, magna enim corporum varietas est, magna graduum sensibilitatis differentia, adeo ut, quae unum ne levissime quidem afficiat caloris impressio seu actio, alium sensibilibus afficiat laedatque pro varietate temperamentorum; ut taceamus gentium diversitatem ex varietate climatum oriundam, prout illae gentes aequatori magis minusve vicinae, maiorem etiam ferunt sine sensu vel minorem caloris gradum. Propter irritationem enim aucta solidorum in fluida corporis nostri actio maiorem in illis calorem, & huius effectum, maiorem nempe expansionem ac rarefactionem





nem eorum producit. Facit insuper maior vasorum laxitas apud nonnullos, ut sanguis facilius & magis expandi possit, cum ob solidorum minorem firmitatem minus coerceatur. Hinc quoque sexui sequiori saepius molestiae sanguinis ebullitiones, & sanguineis, quibus mollis caro, sanguinem continuo rarefieri dixit Ill. Boerhave Prael. T. VI. ad § 894. Docet hoc pariter Cel. Ludwig in Dissert. de plethorae differentiis. Lips. 1766. ubi de plethora imbecillium loquitur § VIII. *et si in his sanguis non abundat, eius tamen massa, animi affectu, calore externo, aliisque causis commota, phlogoses, seu febriles motus brevi transitorios prodit, & tunc venae quasi vi distentae, tument: his commotionibus autem brevi evanescentibus, languor totum corpus occupat, nonnunquam lenis sudor per membra diffunditur, quo facto, & tensione valida inde cessante, venae iterum detumescunt, & sanguine quasi destitutae inveniuntur. & § XVIII. in his, imbecilibus nempe fibrae & vasa robur in coercendo quoque sanguine necessarium non obtinent, hinc saepius levi causa orgasmi sanguinis excitantur, qui plethoram mentiuntur.*

§. XIII. Consideratis igitur causis, quae plethoram spuriam faciunt, ad effectuum eius scrutinium nunc pergo. Quamvis sano corpori inevitabiles mutationes, quae ab aere, cibo, potu, animi pathematibus &c. sanguini nostro inferuntur, non omnino ita sint intolerabiles, ut vel levissimum gradum mutatae proportionis sine noxa non ferat, tamen harum rerum intemperantiae variis ex causis crebrius accedentes, faciunt, ut sanitatis limites saepe inde rumpantur, & a supra enumeratis causis nimium turgescens sanguis morbosos effectus mox recensendos inferat, pro gradu, duratione, complicatione mali & pro subjecti dispositione differentes.

§. XIV. Sanguis rarefactus pro volumine suo aucto maius spatium necessario sibi parare molitur, unde fit, ut vasa sua cum vi distendat, venas turgidas reddat, pulsuum arteriarum plenum, magnum faciat, ita ut vicinos nervos magis ferientes pulsationum & oscillationum suarum mirabilem illum sensum producant, qui sub vehementioribus sanguinis ebullitionibus percipitur in locis corporis praesertim sensibilibus, ut, facie, auriculis, collo, manibus, digitis eorumque apicibus, quam sensationem Cel. Hebenstreit in carmine suo de homine sano & aegroto p. 100. ita depingit:

*Nec tantum cutis est, quae tactum perficit extus,  
Sed datur internus quidam per viscera sensus,  
Quem tactus speciem posses fortasse vocare;  
Sentimus cordis pulsus, arteria passim*





*Subsiliens teneras membranas robore pulsat,  
Frigoris est aliquis sensus sensusve caloris,  
Sentimusque vagos emoti sanguinis aestus.*

Ab hac vasorum sanguiferorum oppletione ac violenta extensione accidit, ut sanguinis maior copia in minora vascula ingrediatur & habitum totius corporis tumidiorem ac colorem cutis ubique magis rubrum efficiat.

§ XV. Ab hac vasorum expansione varia alia dependent symptomata, & quidem primo se- & excretionum mutationes considerandae veniunt: vel enim maior sanguinis copia ad organa secretoria appulsa facit, ut haec iusto plures humores discernant & ex corpore eliminant. Eam ob causam, notum est, ira saepissime augeri bilis secretionem & diarrhoeas & choleras inde fieri. Idem bilis augmentum observatum est saepius in apoplexia extinctis, Vid. *Comment. Lips. T. VIII. P. IV. p. 692.* ubi iterum a Cl. Delio binis observationibus confirmatum legitur, qui in duabus mulieribus carbonum vapore enecatis bilis vesiculam valde distentam invenit, & a gaudio & ira mensium fluxum promoveri dicit *Baglivius oper. p. 347.* Vel propter nimiam maiorum vasorum extensionem minora vascula arctantur, ut excretiones sudoris, urinae &c. inde supprimantur, quod in strictioris habitus hominibus praesertim evenit; etiam haemorrhagiae naturales, menses, lochia, non solum saepissime ultra modum ab orgasmicis sanguinis motibus augentur, sed etiam easdem ab iis quoque non raro supprimi, celeberrimorum practitorum testimonia perhibent. *Cel. Iuncker in consp. therap. spec. Tab. XVII. p. 134.* dicit: *orgasmus abundantis sanguinis ad suppressionem lochiorum multum contribuit; neque obstat, quod & nimii fluxus causa interdum esse soleat; & in causis suppressionis lochiorum recenset abusus remediorum calidorum, quae, quando pro lochiis minutis adhibeantur, completam facillime suppressionem producant, ut, myrrhata, crocata, salia volatilia.*

§ XVI. Frequentissime etiam accidit, ut tales sanguinis commotiones congregationes excitent, & ita varias haemorrhagias satis efferas nonnunquam efficiant, cum vasa nimia vi distenta tandem variis in locis, naribus, pectore &c. aperiantur, & vehementer agitaros humores profundant. A dilatatione hac vasorum ulterius propullulant variae sensuum & motuum animalium affectiones, inde nempe contingere solent aurium tinnitus, scintillae oculorum, somnolentia, somnus inquietus & turbatus ab insomniis, dolores capitis atrociores, torpor & lassitudo artuum, vertigines, immo si cerebrum ab expanso sanguine nimis comprimitur, vel vasa eius plane rumpentur, lethargum & apoplexiam ipsam, tristissimos sui eventus progig-





nere potest, ut ita plethora sanguinis spuria plurimorum ac gravissimorum malorum foecundissima mater existat.

§ XVII. In febribus acutis quoque saepe violentior sanguinis orgasmus benignam earum solutionem impedit, easque exacerbare & diutius protrahere potest, dum excretionēs salutes ac placidas, prohibendo ac perturbando, excernendas particulas magis cum sanguine commiscet; unde non raro artificialia exanthemata tanquam novum morbum ob imprudens regimen vel medicationem sic generari & priori addi recentiores animadverterunt medici. At *fieri quoque, clinicis notum, scribit Chr. Paeken in Diss. de plethorae causis & effectis Witeberg. 1751. p. 30. ut ob nimium orgasmum exanthematum eruptio identidem impediatur; dum materia peccans, nimia velocitate, excretoria loca praetervecta, in iisdem prorumpere & in conspectum prodire nequit.* Quibus denique saepe hoc modo sanguis expansus vasa violenter distendit, iis partes solidas multum inde debilitari, & ob solidorum & fluidorum vitia varios imminere morbos, hydropem praesertim, non difficile perspicitur, cum atonia vasorum insignis hac ratione inducta ad secessus & stagnationes feri ac lymphæ ianuam aperiat, quod in vini potatorum exemplis frequentibus patet, quippe qui plerumque tandem, nisi ob intemperantiam suam citius alio morbo rapiantur, in hydropem incidunt, nec non ex hac causa post intermittentes febres diu toleratas tantae debilitates & plurima mala sequuntur. Vid. v. Swieten T. I. p. 15. Haec de effectibus organi sanguinis dixisse sufficiat.

§ XVIII. Ipsum nomen, plethora spuria, *diagnosin* ipsius non adeo facilem spondet, dum multis effectis veram plenitudinem aemulatur, a qua tamen ut medicus eam discernat, multum inreresse, supra dictum est. Rubor, intumescencia partium, vasa turgida, pulsationes arteriarum fortes, magnae, molestus caloris sensus, praecipua sunt, quæ ad eam dignoscendam facere possunt, praecipue si insuper causarum antecedentium certior fieri potest medicus. Quod *prognosin* attinet, primo ad gradum & durationem organi attendendum est: si enim vehemens est humorum motus, & iam paulo diutius duravit, inflammationes & febres omnino iure meritoque metui debent; deinde, qui ad sanguinis eruptiones proclives sunt, eis a levissimis causis, animi pathematibus, corporis motu &c. eas facillime recrudescere posse, crebrae docent observationes, nec non gravidis tales sanguinis ebullitiones, ob abortus metum, periculosas esse constat. Dyscrasia & acrimonia humorum laborantes, propter maiorem humorum corruptionem ab eorum expansione contingentem & graviolem inde solidorum laesionem, peius a sanguinis orgasmo mulctantur. Illos etiam, quorum vires antea iam plethora vera opprime-



re coepit, ubi sanguinis rarefactio accedit, gravius affligi, & majora pericula iis hinc imminere, necesse est. Omnes denique sanguinis expansiones senibus periculosissimas esse, quippe quibus ob cerebri & systematis nervosi debilitatem facile sanguinis stases orientes apoplexias, catarrhos suffocativos & paralyses afferre possunt, res ipsa docet; cum praeterea solidorum rigiditas faciat, ut sanguinis impetus auctus vires suas nocentes in partes molliores ac nobiliores, quae minus resistere valent, potissimum edat. Quae namque documenta metui debeant, ubi corpus frequentius sanguinis ebullitionibus tentatur, modo indicatum est.

§ XIX. Superest, ut de *curatione plethorae spuriae* dicam, ac quibus remediis pharmaceuticis, chirurgicis, diaeteticisque, symptomata inde orientia praecave-ri aut removeri possint, breviter indicem. In auxilium igitur adhibenda sunt, quae sanguinem rarefactum densant, & distensionem vasorum inde pendentem tollunt. Ad refrenandam sanguinis expansionem plurimum conducere observantur acida, nitrosa, diluentia, quibus calor nimius sedatur, motus expansivus coercetur, & ita ad debitam mensuram humores rediguntur. Ad hunc finem igitur obtinendum propinanda sunt remedia acida, vegetabilia, mineralia, acetum, succus citri, berbe-  
rum, rubi idaei, tinctura florum bellidis & similia. Excretiones suppressas omni-  
no expedire ac liberas reddere convenit, quod vero minime per stimulantia tentari  
debet, a quibus quaesitus finis exspectari non potest, secretiones atque excretiones  
potius tunc iterum facile succedunt ac promoventur, si per temperantia atque or-  
gasmum sedantia vasorum distensio sublata est, ita ut pulvis temperans tunc melius  
sudorem provocare possit, quam laudatissima alias alexipharmaca. Ad alvum du-  
cendam pariter lenissima eligenda sunt, quae sine forti stimulo id faciunt, & simul  
temperandi facultatem possident, qualia sunt oxymeli, manna, cassia, tamarindi,  
cremortartari, ferum lactis, & ad omnes excretiones in genere promovendas quam  
plurimum contribuit potus diluens copiosus, cui dicta temperantia immisceri pos-  
sunt. Ubi acrimonia salino-oleosa vel aliae res, quae motum intestinum sanguini se-  
excitare possunt, ei immixtae talium ebullitionum causae sunt, per lenia resolventia, succos her-  
barum recentium saponaceos, salia subtilia &c. eius ex massa sanguinea separatio atque ex  
corpore eliminatio facilitari potest. Ubi plethora vera complicata deprehenditur, ut  
graviora mala inde metuenda sint, ibi venae sectionem simul administrare oportet,  
quae optima est, ubi paulo latiori plaga vena inciditur, ut depletio fiat repente,  
quippe quod ad humorum motum cito refrenandum multum conferre observatum  
est. Ita venae sectio saepe tanquam optimum aperiens sudoris, urinae ac sangui-  
nis debitas excretiones restituit. Imbecillibus denique, in quibus insuper ob maio-  
rem irritabilitatem coniunctam etiam spasmum concurrentes malum saepe gravius red-  
dunt,





dunt, per antispasmodica ac roborantia, cinnabarina, corticem peruvianum, calcarillae &c. consulendum est.

§. XX. Rerum sic dictarum non naturalium legitimus usus, ut in omnibus morbis, ita & hic ad removendam plethoram sanguinis spuriam plurimum confert. Quare in cibis ac potibus omnia stimulantia, aromatica, spirituosissima fugienda sunt, ac contra victus tenuis ac temperans eligendus. A ciborum copia, quia maiorem digestionis laborem requirit, & ita sanguinem fortius commovere solet, tanquam noxia abstinere convenit, potus vero copiosus temperans ad sedandum humorum motum & orgasmum proficit. Diaeta animalis prorsus aliena est, nam cum cibi ex regno animali desumpti ad alcaliscentiam vergant, necessario fervidiores humores in corpore generantur, & irritabilitas atque solidorum ad motus praeternaturales proclivitas oritur; ea enim animalia, quae carnivora sunt, semper agilia & ferociora observantur, quare diaeta vegetabilis, oleracea, lacticia, acetaria merito praeferuntur. Deinde omni modo animo & corpori tranquillitas conciliari debet; aer sit temperatus, ne improvide admissio frigore exteriora constringantur, & ita humoribus rarefactis in angustius spatium compulsis plethora ad spatium simul nascatur, nec tamen nimia continentia in calore orgasmus foveatur. Imbecilibus praefertim utile est, ut circa tempestatis mutationes, quae aerem leviores reddunt, atque ita resistentiam solidorum magis debilitant atque expansioni sanguinis favent, ab omni repletionis nimia sibi caveant, & quaecunque sanguinem commovere possunt, studiose vitent; ceterum aeris serenioris usu, victu temperante ac concinno motus ac quietis usu robur corpori conciliare studeant. Finem hic Dissertationis meae faciens, Deum, ut praxi meae medicae olim in aegrorum salutem clementer adspiret, supplex veneror.

---

PRÆNOBILISSIMO, DOCTISSIMOQUE  
DISSERTATIONIS DE PLETHORA SPURIA AUTORI,  
DN. LICENTIATO  
THEOPHILO FRIDERICO CHRISTMANN

S. P. D.

P R Æ S E S

Dr. G. F. SIGWART.

**M**orborum genera, generalioresque pro illis curandis indicationes nosse, non nihil quidem est, at, hercle! valde parum, multoque  
remo-



remotius, quam quod ad ipsos ægrotorum lectos scire nos oportuerit, & agere. A cujusvis morbi genere ad ejusdem species, inque harum serie a superioribus ad inferiores, ad infimas usque, descendendum est, & ab hisce demum deveniendum ad ipsum morbum individualem. Ali-ter sentiendo, hem! quam ridicule abstractam, quam lepide imaginariam vellemus praxin, in qua certe non genera, non species morborum, sed ipsi, sub illis comprehensi, & per individua propius cognoscendi, & cu-randi nobis offeruntur morbi. Tanto intervallo Pathologia, & Thera-pia nostra generalis distat a speciali, & utraque ab individuali. Tan-tum abest proinde etiam, ut, quæ de orgasmo in pathologicis circumfe-runtur libris generalissima præcepta, perspicacioribus satisficiant Clini-cis, ut ne specialissima quidem, & vel curiosissime exposita sciendorum hic, & agendorum discrimina, utramque circa hunc morbum praxeos paginam absolvant. Haud attamen iccirco inutilis, & superflua esse cen-senda est hujus morborum generis in suas species operosior resolutio. Hæc nihilominus æque, ac quæ inde formandæ sunt, pro eorum insigni varie-tate insigniter omnino variæ, indicationes accuratius enodandæ sunt, ex-actiusque determinandæ. Primarias notatuque digniores orgasmi species sistit ejusdem divisio in salutarem, & minus salutarem; & hujus sub-divisio in excedentem, & deficientem. Inde namque discimus, or-gasnum, cui mederi volumus, aliquando nulla etiam antorgastica, ali-quando his plane contraria, & orgastica adeo, postulare. Ecce! duo sa-ne, quæ satis quidem paradoxa videri possent, discrimina practica, sed circa medendi methodum observatu hic quam maxime necessaria, ita quip-pe comparata, ut eorum ignorantia, neglectusque in certissima non pos-sit non cedere ægrotorum damna. Quam enim male opponerentur salu-tari orgasmo antorgastica, huic certe non salutaria! quam male pariter eadem propinarentur in deficiente, in quo potius ipsa adeo orgastica dan-da essent! Salutares autem æque, ac justo debiliores commotiones or-gasticas dari, nec adeo infrequentes esse, clinica abunde edocet experien-tia. Unum hoc priori addo monitum practicum. Orgasnum, latius scilicet dictum, recte dividis in naturalem, & præternaturalem. Hoc discrimen nos docet omnino, circa orgasnum etiam naturalem haud sem-per





per otiosos nos esse oportere. Dantur enim, nec adeo infrequentes sunt ejusmodi naturæ orgasticæ, quæ reliquæ sanitati facile inimicæ fieri, morbosque, vel inferre, vel fovere possunt. Earum itaque orgastica temperies, utut in se alias naturalis, aliquando tamen infringenda est, & quodammodo supprimenda. Præter hæc, & eas, quas egregie tetigisti Nobiliss. Dn. Lte! plures aliæ dantur, eademque notabiliores orgasmi species. Quas vero paginarum Tuarum angustia non admittebant, & meæ hæc quoque ad TE litteræ gratulatoriæ non capiunt, earum propior cognitio pro TUA, qua polles, dexteritate, TIBI erit in proclivi, inque praxi TUA, data quavis occasione, adplicatu haud adeo difficilis. JUNCKERUS, pater, in diss. an. 1738. ventilata exemplo plethoræ demonstravit, quod bonus Theoreticus bonus quoque sit Practicus. Idem & in specimine TUO plethoræ spuria exemplo demonstrare cœpisti. Perge, quo cœpisti, hocce tramite, strenue porro idem demonstratum iturus, non orgasmi tantum, sed & aliorum morborum exemplo, ipsisque ad ægrotorum TUORUM lectos faciendis factisque TUIS laudabilioribus. Efficies id, confido, precorque, largius TIBI adfluentibus DIVINAE benedictionis divitiis. Subsidiis artis nostræ philologicis, ab optimo PATRE TUO, dignissimo Scholæ nostræ Anatol. Rectore, instructus, philosophicis a Philosophiæ in Alma nostra EBERHARDINO-CAROLINA Interpretibus imbutus, debiteque sic jactis fundamentis ad nostra accessisti subsellia, in iisque talia edidisti specimina, quæ certam faciunt spem, & Tuo inter nos comprobatum iri exemplo, quod bonus Theoreticus bonus quoque sit practicus. Id pleno precatus pectore TUOS TIBI, TUISque gratulor, quos ambis, honores, & quævis, quæ a me in TE proficisci poterunt, officia spondens, Tuae porro favori & amoris me commendatum esse volo.

Dab. e Museo

d. 22. Oct.

1770.

